



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

De tentationibus diaboli circa ægrotum. tit. 254

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

offerimus & spiritalis hostia, 1. Pe. 2. Si autē quis propter malitiam patitur, hæc crux non est Christi crux, sed latronis mali, Luc, 23.

DE TENTATIONIBUS DI-  
aboli circa agrotum.

TITVLVS CCLIIII.

**P**RIMA tentatio sathanę est, Tu sceleribus opertus, quomodo migrabis, in requiē? superant scelera tua arenam maris, multe legiones dæmonum expectant te. Respondēdo ad primum: cum latrone migrabo, qui audiuit in cruce. Hodie mecum eris in Paradiso: Lucę 23. Ad secundum: Copiosior est Domini misericordia, quā peccata mea, Romanorum. 5. Gratia abundat peccato. Ad tertium, habeo Christū, qui fortior est omnibus legionibus dæmonum, Ioan 14. In me nō habet quicquam.

Secundō, inquit sathanas: falso tibi persuades, te misericordem habere Deum, qui nunquam rectē peccatiuiti. Deus altissimus odio habet peccatores, Eccl. 12. Iniustus esset Deus, si pro malefactoribus daret vitam beatam. Respond. Peccator esse desijt per Christum, qui de peccatis suis pœnitens, se cum spe misericordię peccatorem grauatum agnoscit & dolet, Psalm. 50. Cor contritum, & Matthęi. 11. Venite ad me omnes &cæt. Ad secundum, Christus non odit peccatores, neque Deus, qui venit propter peccatores in mundum, 1. Timoth. 1. Romano. 4. Ad tertium, Fides in Christum iustificat. Habacuc. 2. & Christi saluatoris meritā ad quę confugio, faciunt me iustum, 2. Corin. quinto, Qui peccatum, non fecit factus est peccatum, Galat. 3. factus pro nobis maledictum.

Tertiō inquit: relinquis opes tuas, vxorem, diuitias &cæt. & charissimos. Si Deus te vellet saluare & diligere, nō tot malis excruciet: damnaberis, & saluus non



Hebr. 12.

non eris. Responde ad primum: aliena sunt, quæ hîc relinquo. Domini est terra, Psalm. 23. Relinquo etiam plus malorum, quàm si superuixerim, facere possem bona: longè etiam maiora & plura bona, accipiam propter Christum, quàm hîc relinquo: amiciores me me breui sequentur, & ad iucundiores amicos prope- ro quàm hîc relinquo, ad angelos, ad omnes sanctos, cœli ciues. Ad secundum, pius Deus medetur, ut cle- mens medicus & benignus pater, qui filium, quem diligit, castigat, Prouer. 3. multo maiora bona accipiam ab eo, quàm mala, quæ perfero, & cur non perferam, qui fui inobediens seruus? Luc. 12. Seruus sciens Do- mini voluntatem, &c. Clementiæ ergo signum sunt cruciatus, &c. Ad tertium: Tu sathã calumniator es, non iudex, sed ipse damnatus. Christus cõstitutus est iudex, Act. 10. & dicit, qui credit, non iudicatur, Ioh. 3.

Quartò, quando sathan non potest terrore seduce- re, ad blanditias sese conuertit: & primò suggerit, multa bona fecisti, dignus es misericordia & æterna beatitudine, credidisti in Christum, non poteris dam- nari. Tot annis in monasterio seruijsti, idè non po- test te Deus damnare, Nam dicit Matt. 25, Esuriui, & dedistis mihi &c. Responde, si quicquam boni operis à me profectum est, Domini est, non meum: ego solũ instrumentum fui, Esa. 26. omnia opera nostra &c. Nulla est mea operum dignitas. Tu operatus es om- nia secundum gratiam tuam in nobis, & remuneras dona tua per tuam misericordiam, id est, Christum. Ego agnosco meam indignitatem, & nihil scio nisi Christum, & hunc crucifixum, 1. Cor. 4. In manus igi- tur Dei commendo Spiritum meum: oro quoq; Do- minum meum Christum, ut conseruet, ne intrem in- tentationem, Matt. 6.

DE PUGNA ECCLESIAE  
& fidelium.

TITV.